DE CHOLERAE NATURA DISSERTATIO INAUGURALIS QUAM AD...

Camillo Mazzardi



DE

CHOLERAE NATURA

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD MEDICINAE LAUREAM

IN C. R. ARCHIGYMNASIO PATAVINO

RITE ASSEQUENDAM

PROTULIT

CAMILLUS MAZZARDI

BRIXIENSIS.



PATAVII

TYPIS PENADIANAE

MDCCCXXX



MANIBUS

AMANTISSIMI PATRIS

FILIUS GRATISSIMUS

D.

Longo, atque arduo emenso curriculo studiorum, quae ad discendam nobilissimam, gravem, difficilemque medendi scientiam requiruntur, tempora tandem lauris cingere juvat. O quam dulce tibi esset, optime parens, tot curis persolutis, votisque expletis, filium tuum optatam hodie consequentem metam amplecti! Sed obstitit irreparabile fatum, atraque dies intempestive te longiore vita dignum ehu! mihi eripuit.

Memoriae tuae hocce tenue Medicinae

opus, primum juvenilis, et exigni ingenii mei laborem, saltem devovere, atque sacrare liceat; et quamquam infandum mihi renovo dolorem de natura illius exithialis, saevique morbi, qui jucundum obstulit tuae vitae lumen pro meis viribus pertractare excogitavi.

Accipe, dilecte pater, hoc publicum mei grati animi testimonium, et pignus, quale sit, filialis benevolentiae, quam integrum servabo donec et me extrema fata tangant.

Neque tamen ulli morbo minori momento succurritur.

Celsus. De Cholera.

Est Cholera morbus gravior, acutissimus, ut angusto unius diei spatio cursum suum plerumque absolvat, aegri vitam quandoque crudeliter adimendo: At si primum ejus indolem prudenter Medicus investigando detegat facili negotio auxilium salutare praebere potest.

Quamvis igitur haec dira, tristisquae affectio non saepe temperato Italiae climate appareat, nec immanem, ut in torridis regionibus, humanae gentis caedem faciat, rem nihilo minus magni momenti existimo ejus naturam attento animo perpendere, ut aptiora objici possint remedia, quae ipsam expugnare valeant. Quod, si bonae voluntati ingenium respondat, ego nunc accademico officio incitatus aggredior, et diversis pathologicis innixus doctrinis, quae ad praesens in nostra praecipue cum laude reso-

nant Italia, thesim propositam elucubrare tentabo.

Vos interim salvete, praeclarissimi Viri, hujus aevi splendor, cultaeque Ausoniae decus, qui perspicaci ingenio praediti, et fideli experientia edocti, caliganti adhuc nigra formidine Medicinae tam clarum afferre lumen potuistis.— Dignum sapientiae vestrae opus fuit obscuras ejus ambages sagaciter extricare, errores funditus evertere, et veritatem philosophiae facibus illustrare. Sed quid in hoc Minervae pervetusto Sacrario, vobis coram, doctissimi Praeceptores, qui Esculapicas disciplinas assidue coletis, sedulo amplificatis, et provide docetis, vobis coram, Auditores humanissimi, qui Medicinae studiis omni mente incumbetis, quid dicere possem? Cuinam salutaris scientiae inter cultores hodiernae Italae Pathologiae lux non affulgit? Haec enim a factis deducta, tot clarissimorum Medicorum experimentis consentanea, rectis observationibus superstructa, veritatis simplicitate exornata, et sana philosophia conjuncta altum in Medicinae fastibus locum tenet, et perillustrem epocham signat, gloriam adaugendo hujus amaenissimae peninsulae, ubi ortum duxit, et brevi temporis lapsu maximum attigit incrementum, atque solidam confirmationem.

Effraenis vomitus, simul atque immodica

diarrhoea cum gravi et stomachi, et intestinorum, et totius systematis nervosi perturbatione Choleram notant. Sed quaenam sunt hujus teterrimi morbi essentiales conditiones, vel quaenam caussae proximae, quibus Medicus indicationes, et medendi methodum accomodare debet? Asthenicam semper, et ad maximum Bruno ejusque sectatores Choleram esse affirmarunt; hinc alkool, aether, vinum, et opium praecipue adhibita fuere, ceu remedia, quae omnibus casibus indistincte eam profligare valerent. Neque reticendum est hunc morbum ut plurimum a conditione hyposthenica organorum, vel fibrarum, in quibus residet, genesim suam re vera agnoscere, et fateri etiam oportet, ut Cholera laborantes saepenumero copiosa Opii dosis sanavisset, quod ex Annalibus Medicinae luculenter comprobatur. At veniam Brunonis asseclae mihi concedant si frequentius, quam ipsi fatentur, Choleram ab inflammatione ventriculi, et intestinorum, nempe a gastro - enteritide oriri, atque aleri, ideoque usum remediorum deprimentium tum et quando exposcere ego asserere audeam. In operibus Amati Lusitani, Trallesii, Geoffroy, Clarke, Alibert, et summi Itali Clinici Tommasini; permultae extant observationes, et non pauca adnotantur exempla, e quibus abunde liquet formam hanc morbosam haud

semper cum tubi gastro-enterici statu hyposthenico, sed aliquoties cum illarum partium conditione inflammatoria reapse connecti.

Verum enimvero si mecum in animo considero, quod a Doctissimis Viris (inter quos Pinel, et Clarke nominare sufficiat) notatum fuit, nempe levem Choleram cum gastricis affectionibus, cum cholica sic dicta biliosa, quam vomitus non raro comitatur, saepe saepius confundi, et hosce duos morbos eadem methodo antiphlogistica curari, aegre concedere queo, ut morbus, qui leviori in gradu a phlogosi pendere potest, gravior hanc derivationem semper excludat.

Praeterea cum caussas ego perpendam, quae illam aegritudinem peperere, et parere possunt, reperio quandoque ipsam ortum habuisse a potentiis morbificis vim vitalem infringentibus, uti a vehementibus, aut lentis, et protractis affectionibus animi deprimentibus, a frigore; ab abusu ciborum acidorum, et aquae gelidae, ab ingestis substantiis, medicamentis, vel venenis virtute energiae vitali inimica pollentibus; sed quidem etiam reperio tum et quando choleram produxissent nimius calor, spirituosorum, et vini abusus, vehemens irae accensio, et similia, uti patet ex Operibus Amati Lusitani, Clarke, aliorumque illustrium Medicorum.

Si autem medicamenta respiciam, quae choleram variis in casibus compescere valuerunt, verum quidem est aether, alkali volatile, moschum, opium evidenter utilia, ac salutaria aliquoties evasisse; verum est Clarke, Percival, Sydnham, Riverium a laudano, aromatibus, et remediis excitantibus prosperos obtinuisse eventus; sed aeque verum est Opium, et stimulantia votis Grant male respondisse; aquae, et balneorum tepentium utilitatem agnovisse Caelium Aurelianum, et Celsum; olei usum internum laudare Clarke; glacici appositionem, ceu potissimum remedium, celebrare Caelium Aurelianum, Araeteum, Bartholinum, Hoffamann, et Penada; sanguinis missionem, potus refrigerantes suadere Trallesium, qui semetipsum tali methodo antiphlogistica e minis atrocissimae Cholerae eripuit, cujus dein accuratam tradidit historiam, ubi scriptum relinquit – » Ille in Cholera tractanda peccaverit, qui venae sectionem ommiserit, pulsu existente magno, forti, et frequenti — » denique ex aequo verum est fomenta emollientia aquam pulli, emulsiones, et phlebotomiam, si pulsus valet, iterum Souvages commendare, et Cholerae plus semel curationem Tommasinium ipsum feliciter perfecisse ope frigoris, magnesiae, tamarindorum, et venae sectionis pluries, dum res urgeret, repetitae.

244

Tandem si a Necroscopia pathologicae hujusce morbi conditiones perquirantur non inficior, ut cistifellea ampla, et flaccida; ductus biliarii relaxati, choledochum dilatatum, et laxum; ventriculus, et intestina absque indiciis phlogisticae degenerationis saepe extitissent; sed pariter dicam, ut Clarke intestinum duodenum a gangraena correptum, et cardias sphacelo deturpatum invenisset. Burserius gangraenae non modo, sed etiam phlogosis, ceu interdum ab hocce morbo productarum, mentionem fecit; et Alibert vestigia, atque exitus praegressae inflammationis reperiit in membranam mucosam tubi gastroenterici, in paeritoneum, et hepar. Neque hic ego praetermittam (quamquam tristis recordantia me vivido dolore afficiat) ut phlogistica fuisset vel illa Cholerica passio, quae funere mersit acerbo dulcissimum Patrem meum: Autopsia enim gastro-enteritidis indubias notas, omnia thoracis, et caetera abdominis viscera instatu normale constituta detexit.

Qua propter extra omnem dubitationem positum, et factis consentaneum mihi videtur, ut Cholera derivationem suam aeque a conditione phlogistica, ac hyposthenica canalis alimentarii variis in casibus dignoscat, et jure enumeranda sit inter illas affectiones, quae modo actionis vitalis excessu, modo illius torpore stipantur, quae-

que igitur medicamentis ex classe excitantium, aut ex illa deprimentium depromptis curantur.

Utut causae morbum producentes utriusque generis esse possunt, et dispositio modo eminenter uni modo alteri rerum conditioni favere, sic pro momentorum morbum producentium indole modo hypersthenise symptomata praevalebunt, modo illa status oppositi. Neque reticendum est morbum, ex indole quoque causarum producentium mutata, variari posse. Luculenter id demonstrant diversae cholerarum epidemiae, variae sub mutato climatis, soli, athmospherae, anni temporum, epidemiarumque influxu, quarum aliae antiphlogisticis, aliae phlogisticis remediis facilius cesserant, dum aliae et prioribus et posterioribus parum obedientes, certis, et singulis saltem remediis qualitatem organisátionis immutantibus obedire consuevissent: De Cholera id dici potest, quod de reliquis morbis, scilicet unam esse cholerae formam, variam naturam, hancque tum diferre, quantum differunt momenta illum gignentia, scilicet aegri individualitas, et causae morbosae indoles.

In morbo tam praecipiti, atque periculoso, qui semetipso, aut naturae viribus relictus perraro divellitur, nimis dura est Medici necessitas celeriter agendi, et statim decernendi quale remediorum genus sit congruum; dum haud

semper fas sit omnes circumstantias cito estimare, notiones colligere, atque inter se conferre symptomata, quae ostendant, aut saltem probabilem reddere queant diversam illius indolem. Ad hoc praecipue confert consideratio temperamenti, aetatis, vitae generis, consuetudinum, et praegressorum morborum. Caussarum occasionalium examen quoque instituendum erit; neque symptomatum comparatio lucem clariorem quandoque effundit; attamen cum aeger de interno flagrantis ignis sensu conqueratur, cum arteriarum vibratio, etiamsi exigua, sub morbi saltem initio persentiatur, tunc Medicus ad methodum deprimentem confugere debet, remediorum effectus attento animo considerando: Et e contra cum aeger a doloribus atrocissimis, atque ab inexplicabili anxietate vexetur, tunc aetheris, vel opii usum experiri decet. Perspectis emolumentis aut noxis administrationem remediorum unius, vel alterius generis subsequentibus, Medicus vel inceptum majori fidentia continuet, vel diagnosim institutam fallacem esse percipiet, vel peculiari morbi indoli renitentiam illam adscribet. Si autem vera, ac continua febris adsit irritativa, tunc existentia processus similis comperta est; iter pergendum, quicumque foret eventus, haud dubium. Non languoris, vel hypostheniae species, non vomitus, non dejectiones continuae aliam

methodum suadebunt nisi antiphlogisticam, alia pharmaca postulabunt nisi frigus, potiones refrigerantes, et etiam sanguinis missionem.

Hactenus de Cholera inflammatoria, ac hyposthenica a quibusdam Auctoribus legitima, spontanea noncupata locutus sum, nunc de irritativa ab aliis seu spuria, illegittima vocata nonnihil dicendum mihi superest.

Irritatio omnis, ex qua interdum Cholera enascitur, aut Idiophathica, aut Sympathica est; prout tubus gastro-entericus immediate irritetur, atque vexetur a pondere, et majori copia, quam par est alimentorum, a variis saburris in illis receptaculis coacervatis, a venenis acribus, irritantibus ingestis, a vermibus fibrallas nervosas vellicantes, et extimulantes; vel motus irritativi a remotis partibus, ubi aliqua adsit morbifica potentia, aut pathologica conditio fibras valde turbare, et irritare valentes, ob sympathicam relationem ad ventriculum, intestinaque propagantur; quo in casu Medicus morbosam hanc formam auferre nequit, nisi prius auferat conditiones, aut potentias, quae eam gignunt, et alunt; dum curatio Cholerae ab idiopathica irritatione exorta fit directa eliminatione per os, atque anum substantiarum irritantium; hinc prodest quandoque vomitum, et diarrhaeam potionibus mucilaginosis, oleosis, tepentibus coadjuvare, vermes anthelminticis necare, et catharticis expellere etc.

Haec sunt, quae de natura Cholerae pro ingenii mei tenuitate dicere habui. Haec quoque, verbis forsan saltem mutatis, Italae Pathologiae doctrina praecepit, quae quamdiu sana colitur ratione, et a praeconcepta opinione libera, certe omnes alias Medicinae Theorias excellit.



THESES.

I.

In morborum curatione Medicus intimas, et occultas mixtionis organicae mutationes minime respicere potest.

II.

In morbis omnibus et organisatio, et vitalitas simul laesae sunt.

III.

Sedulo distinguenda est debilitas phisiologica, a debelitate pathologica.

IV.

In hydrope hypersthenico, seu inflammatorio digitalis purpurea non ob ejus actionem diureticam, quae plane secundaria est, sed ob ejus virtutem primariam in systemate vasorum sanguiferorum praecipue manifestam, prodest.